



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Casus Fœdæ deceptionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059



CLASSIS I.

Impedimentorum Dirimentium.

CONSENSUS INSUFFICIENS.

Huc spectant quinque impedimenta ;

Error , Conditio , Vis , Raptus , & Claudefinitas.

§. I.

ERROR.

CASUS

Fæda deceptionis.

Hermilla perhonestæ , & opulentæ familiæ Virgo ; nescio , ob quod negotium morata est aliquo tempore in Urbe M. Vidit eam ibi Lupacius , & quia diuitijs insidiabatur (intellexerat enim , pecuniosam esse) captata ubique occasione , aliquoties ipsi locutus est , millenis obsequiorum generibus ei adblandiens , tandem

tandem etiam nuptias expetere ausus; quas ut consequeretur, finxit se filium divitis mercatoris ex urbe L. illius ipsius Provinciae, in qua patria erat Hermillæ, Metropoli: addebat, bonâ Parentum veniâ pluribus adhuc annis se castra secutum, fortunâ tam sibi propitiâ, ut inter belli Officiales gradum sublimiorem conscenderit. Patriam, parentes, divitias, & militarem dignitatem testabantur tum exhibita scheda baptismalis, tum, quos secum in hunc finem adduxerat, comites; & è Tribunis ipsum non postremum esse, loquebantur insuper tum elegans vestium ornatus, tum statura eminens, & spiritans è facie Martius animus, quem amœno agendi lepore, ac comitate ad eum noverat temperare, ut Hermilla, accedentibus tot asseverationibus, & testimonijs, de impostura nihil suspicata, in nuptias, consenserit. Sed experta est misera paulò post, se turpi mendacio circumventam, non Tribuno militum, uti crediderat, verum castrensi carnifici infeliciter nupsisse.


Q. An propter istum errorem invalidum fuerit hoc Matrimonium?

SYNOPSIS.

1. Quotuplex error evenire possit in Matrimonio?
2. Quomodo differant error antecedens, & comitans?
3. Error circa substantiam personæ invalidat Matrimonium iure naturali.
4. Respondetur ad aliquas objectiones.
5. Ad irritandum Matrimonium perinde est, an error circa personam sit antecedens, & causa actûs, an concomitans.
6. Si error est circa qualitatem personæ, Matrimonium non irritatur.

7. Nisi

7. *Nisi ejusmodi qualitas apponatur in contractu per modum conditionis vel actu, vel virtute.*
8. *Aut error circa qualitatem redundet in ipsam personam; ubi statuuntur plures regulæ, ex quibus dignosci queat, quando nam hoc eveniat.*
9. *Quid judicandum in presente casu? Affertur opinio pro validitate Matrimonij.*
10. *Deciditur oppositum.*
11. *An, si hujusmodi conjuges velint nihilominus cohabitare, debeant de novo contrahere coram Parocho, & testibus?*

I.  Auci fluxerunt anni, quod casus iste, contigit, ut mihi recensuit fide dignus, qui præsens tunc in loco adfuit, novitque personas, quæ partem in eo habuerunt: Ad cujus solutionem prænoto, universaliter in Matrimonio quadruplicem errorem intervenire posse, ut desumitur ex *c. Vnico. 29. q. 1.* Primus est personæ, seu circa substantiam personæ, dum quis contrahit Matrimonium cum aliqua, quam putat esse hanc individuum numero, cum tamen sit alia individua numero. Secundus est conditionis servilis, dum contrahens liber putat, contrahere

se cum libera, & est ancilla. De hoc errore paragrapho sequente. Tertius est qualitatis intrinsecæ, videlicet pulchritudinis, nobilitatis, honestatis &c. dum quis credit, se contrahere cum pulchra, nobili, virgine, honesta, vel proba, & est deformis, plebeja, corrupta, improba, vel inhonesta. Quartus est error qualitatis extrinsecæ, seu fortunæ, nempe divitiarum, dum putat, eam, cum qua contrahit, esse divitem, est verò pauper. De utroque isthoc errore tum intrinsecæ, tum extrinsecæ qualitatis eodem modo statuitur, quin fiat speciale discrimen, nam utrobique erratur in qualitate.

2. Ex his erroribus quilibet est vel antecedens actum, & dans causam contractui, vel comitans. Prior tunc

runc adesse dicitur, quando consensus totus innititur errori, sive quando error est tota, & integra ratio, cur aliquid velimus, quod aliàs nullo modo vellemus, si in errore non essemus; sic si Antonius ducit Blancam, quia patat esse Mariam, ita, ut si scivisset, non esse Mariam, illam non duxisset, datur error antecedens dans causam huic contractui, estque is circa substantiam: si verò ideo ducat Mariam, quia putat, esse divitem, ita, ut si scivisset, eam non esse divitem, in ipsam consenturus non fuisset, iterum est error antecedens, sed circa qualitatem personæ. Posterior, sive concomitans error est, quando consensus errori non innititur, sed ita se habet, ut contractus fieret, etiam hic error non adesset. Hic quoque error rursus contingit vel circa Substantiam, vel circa qualitatem personæ, v. g. si Antonius ducat Blancam, quia putat esse Mariam, simul verò ita constitutus est, ut nihilominus eam esset ducturus, si nosset esse Blancam, est error comitans circa substantiam: Si autem ducat Blancam, putans esse se divitem, ita ut, si scivisset, non esse divitem, adhuc illam duxisset, error concomitans versatur in qualitate. His prænotatis.

3. Dicendum, Matrimonium contractum cum errore circa substantiam, sive circa ipsum individuum personæ nullum esse, & invalidum ipso iure naturæ, unde si volens

contrahere cum Bertha, Matrimonium in eas cum Caja, per errorem existimans, esse Bertham, irritum est tuum conjugium. Est hæc communis omnium doctrina, ut necesse non sit pro ea referre multos Aucthores; videri tamen poterunt Sanch. l. 7. disp. 18. n. 12. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. Bonac. q. 3. de Imped. Matrim. pu. 2. n. 2. Tannerus, Perez. Coninck &c.

Probatur. Universaliter error circa rei substantiam, sive objectum substantiale contractus actum ipso iure naturali irritum reddit, ut exemplis ostenditur in emptione, & venditione: Siquis pro gemma tibi vitrum vendat, aurichaleum pro auro, stannum pro argento, vel si intendas emere Bucephalum, & tibi venditor pro eo substituat Xanthum, irritus est contractus, quia deest tuus consensus, nihil enim, ut loquuntur Iura L. Si per errorem. ff. De Iurisdic. tam est contrarium consensui, quam error, & L. Non ideo. C. De Iur. & facti ignorant. Nullus est errantis consensus; sed in contractu Matrimonij primus, ac substantiale objectum est ipsa persona, cum qua est contrahendum: ergo si circa hanc erratur, ipso iure nullum est Matrimonium. Ita disertè c. Vnic. 29. q. 1. Error personæ conjugij consensum non admittit, nam sicut sine consensu in conjugium dari nequit conjugium, ita profecto sine consensu in certam, & determinatam personam, cum qua est contrahendum,

dum,

dum, nullum cum ea est coniugium, quia qui circa personam errat, non consentit in eam, cum qua contrahit per errorem, sed totus ipsius consensus fertur in personam absentem, quam per errorem existimat, esse presentem, non verò in eam, quæ revera præsens est. Hinc asserunt communiter AA. nullum fuisse coniugium Iacobi Patriarchæ *Gen. 29.* cum Lia per fraudem soceri Laban loco Rachelis ipsi supposita, donec detecto dolo, & deprehenso errore, hoc quoque Matrimonium Iacob postea ratificavit, tum amore obtinendæ etiam Rachelis, tum miseratione Liæ, per ignorantiam ex parte sua invincibilem jam desflorata.

4. Nec probant aliquid in contrarium instantiæ, quæ opponi solent, videlicet Baptismum esse validum, quamvis erraretur in persona, dum quis baptizat hunc, quem putat esse alium, aut femellam, putans se baptizare masculum; validam quoque absolutionem Sacramentalem collatam Petro, qui putabatur esse Ioannes, & sic loquendo de Confirmatione, extrema Unctione, Ordine. Similiter in emptione, & venditione, aliisque contractibus etsi venditor Cajum emptorem habuerit pro Titio, valida tamen est venditio; ex quo videtur inferri posse: ergo Matrimonium quoque validum est, quantumvis erratum fuerit in persona: hæc, inquam, nihil evincunt, quia lata est disparitas, quippe in his Sacramentis non specta-

tur hæc, vel illa persona determinata, verum quæ præsens fuerit, nam parum refert ad finem Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum, sitne hæc, vel illa persona, cui ministrantur, ideòque intentio Ministri non ad singularem personam, puta Franciscum, vel Petrum fertur, sed dirigitur in personam presentem. Pari modo vendentem, v. g. equum, intendit præcisè hunc tradere, & emens dare vendenti pretium, quis quis sit, cui ille rem, vel hic pro re pretium tradit. Non ita in Matrimonio, quia cum hoc inter contrahentes individuum vitæ societatem inducat, plurimum interest, sitne hæc, vel illa persona, cum qua contrahitur; unde intentio contrahentium dirigitur in personam non qualemcunque, quæ præsens est, sed in determinatam, ac individuum nempe eam, quæ nota, & specialiter electa est: quapropter si ea, quæ est præsens, per errorem iudicatur esse alia, scilicet illa, quæ abest, & specialiter electa fuit, Matrimonium cum præsentem initum invalidum est, quia actus agentium ultra eorum intentionem non operantur. *L. Non omnis. ff. De Rebus creditis. Ita Sanch. L. 7. disp. 18. n. 12. Perez. disp. 24. de Matr. sect. 1. n. 10. & seq. Sporer Theol. Sacram. p. 4. c. 1. n. 4. Wicke-ner n. 212. De Sponsal.*

5. Quæ diximus de errore circa substantiam personæ, extendenda sunt

sunt etiam ad errorem concomitantem, perinde enim est ad Matrimonium dirimendum, si in persona erres, sive hic error sit antecedens, & causa operis, de quo nemo dubitat, sive sit concomitans, & non causa operis, eò quòd contrahens ita sit constitutus, ut, licet non errasset, sed scivisset, esse aliam, quam putaverat, nihilominus cum ea contrahere voluisset; nam uterque error, & hic, & ille, aufert actuale consensum, & solum in hoc differant, quòd prior faciat simpliciter involuntarium, posterior autem, actum non esse voluntarium, seu quamvis error comitans non sit involuntarius positivè, est tamen involuntarius saltem negativè, hoc est, non voluntarius, quia deest consensus præsens in eam, cum qua contrahit, quod satis est ad hoc, ut actus irritus sit, siquidem, ut rectè notat Vasq. 1. 2. disp. 30. c. 4. n. 30. Matrimonij contractus requirit positivum, & expressum voluntarium, neque sufficiens est interpretativum. Imò non erit validum Matrimonium, etiamsi contrahens dicat: ducerem Bertham, si nossem hanc esse Bertham, quia hoc modo solum indicat intentionem, & voluntatem eius, quod facturus esset, si illam nosset, non verò positivè consentit de præsentì: aliud est, si errans actu intenderet cum persona præsentè contrahere, quæcumque illa sit, hoc enim casu habere-

tur verus consensus in personam præsentem, proinde validum esset Matrimonium. Ita rursus Sanch. disp. cit. n. 6. Perez l. c. n. 7. Palao disp. 4. de Sponsal. pu. 4. n. 1. Bonac. l. c. n. 4. Bassæus V. Matrimonium 7. n. 8. Pirh. n. 160. de Sponsal. Filliuc. tr. 10 c. 2. n. 31. Coninck, Laym. Hurtad. Dicastillo contra Comitolum, qui l. 1. Respons. Moral. q. 121. tenet contrarium de errore concomitante.

Addo, hoc ipso, quòd error circa substantiam personæ Iure naturæ irritet Matrimonium, 1. etiam inter infideles non valere Matrimonium initum cum errore personæ. Patet, quia non valet inter ipsos Matrimonium cum impedimento Iuris naturalis, quale est hoc. c. Gaudemus. De Divortijs. 2. Neque Pontificem posse efficere, ut error personæ non irritet Matrimonium, quia non potest tollere jus naturæ, aut supplere consensum contrahentium. Perez disp. 24. de Matrimonio Sect. 2. n. 7. & seq. Coninch, Basil. Pontius, Sanch. &c.

6. Aliter prorsus se res habet in errore circa qualitatem personæ; hic enim, etsi antecedens sit, & contractui causam dederit, atque etiam ex dolo alterius contrahentis provenerit, per se, & regulariter Matrimonium non invalidat. Ita rursus supra citati cum Petro de Ledesma q. 51. de Matr. artic. 2. Covarr. 4. Decret. p. 2. §. 7. n. 2. Molina tract. 2. De Iust. disp. 352. §. Aliud est observandum. Tambur.

bur. *17. l. De Imped. c. 2. n. 11.*
 & communi aliorum contra Medi-
 nam, & paucos alios, putantes,
 quando dolus causam dedit contractui,
 invalidum esse Matrimonium in foro
 conscientiae. Hinc si quis contrahat
 cum ea, quam putat esse pulchram,
 vel quae se falso dicit esse nobilem,
 sanam, divitem, virginem &c.
 cum sit deformis, plebeia, infirma,
 inops, corrupta &c. validum est
 Matrimonium. Ratio est, quia ad
 valorem contractus Matrimonij satis
 est, quod non erretur in ijs, quae
 sunt de substantia, & essentia Matrimo-
 nij: sed de substantia, & essen-
 tia Matrimonij sunt solae personae, &
 corpora, quae mutuò traduntur, &
 acceptantur in ordine ad generatio-
 nem, quidquid verò est extra sub-
 stantiam istorum corporum, dun-
 taxat accidentale est: ergo si non er-
 ratur in persona, sive hoc individuo,
 sed solum in qualitate accidentali,
 Matrimonium substantialiter subsi-
 stit, & nullo modo irritatur, cum
 nullus canon Ecclesiasticus ostendi
 possit, qui ob defectum similium qua-
 litatum id infirmet, cum ex opposito
 contrarium clarè colligatur ex *c. Apo-
 stolica. De Sponsal.* Ubi deciditur,
 Matrimonium non irritari ob men-
 dacium, vel dolum ad illud in-
 ducentem.

Confirmatur à pari, quòd juxta
 omnes valida sit Professio Religionis,
 quamvis illius aliqua asperitates, du-
 rior victus, fratrum mores, rigor

Pralatorum, aliaque similia acci-
 dentia, quae substantiam non con-
 tingunt, antè non advertantur.
 Denique si ob errorem qualitatis,
 etiam qui causa contractus fuit, irri-
 tum redderetur Matrimonium, pas-
 sim Matrimonia nulla fierent, &
 facta disolverentur, quod gravissimis
 damnis, & inconvenientibus ob-
 noxium foret: dicendum igitur, ob
 solum errorem qualitatis Matrimo-
 nium non reddi irritum, cum qua-
 litates non sint objectum ipsius con-
 tractus, sed se praecise habeant per
 modum rationis motivæ, seu impulsivæ,
 & causae finalis extrinsecæ, qua-
 re, si contingat errari, error hic con-
 sentum Matrimoniale non efficit
 involuntarium simpliciter, sed solum
 secundum quid, scilicet circa ipsas
 has qualitates, & accidentia personae,
 cum qua contrahitur, per quod sub-
 stantia contractus non vitiatur.

7. Temperare nihilominus oportet
 hanc doctrinam duplici exceptione,
 nam etiam error qualitatis per
 accidens aliquando irritum reddit
 Matrimonium. Primò si qualitas,
 in qua erratur, per modum condi-
 tionis apponatur in contractu vel
 actu, vel virtute, ut quis vel actu,
 & expressè intendat non accipere
 hanc conjugem, nisi sit nobilis, vir-
 go &c. idque vel apertè significet,
 dicendo: si es nobilis, duco te,
 alias nolo, vel saltem mente retineat.
 Ratio est clara, quia sic datur con-
 sensus conditionatus: *si talis es, volo:*
 atqui

atque consensus conditionatus de presenti, conditione non subsistente, nullus est, ut nemo non novit: ergo &c.

Dixi *actu*, vel *virtute*, ut indicarem, intentionem merè habitualem, vel interpretativam non contrahendi cum persona tali qualitate affecta non sufficere ad Matrimonium invalidandum, v. g. si quis contrahat simpliciter cum aliqua non nobili, paupere, non virgine &c. ita animo comparatus, ut, si scivisset, vel advertisset ad hanc, vel illam qualitatem, non contraxisset, sic enim Matrimonium propterea non irritatur, si postmodum conjugem deprehendat talem, qualem si priùs novisset, abstinuisset à conjugio, quia in conjugali contractu non attenditur ad id, quod fecisses, vel voluisses in alijs circumstantijs, verùm ad id duntaxat, quod re ipsa fecisti de facto, & voluisti circa substantiam contractus, absolutè enim consensum præbuiisti, nec adfuit ulla conditio, sed solum adfuisset, si attendisses, quod nihil operatur, unde intentio, & dispositio solum habitualis, vel interpretativa non sufficit ad Matrimonij invalidationem. Et profectò si hæc sufficeret, vix esset è millenis unum Matrimonium validum. Sufficit autem, appositam esse talem conditionem virtualiter, quo modo adesse censetur tunc, quando, licèt in contractu actualiter non ponatur, tamen de ea antecederet cogitatum

est, fuitque priùs apposita, ac postmodum, illà non retractatà, consensus datus est contractui, v. g. Titius declaravit, se nolle ducere Mariam, nisi sub conditione, quòd dives sit, vel pulchra, vel non ex genere Judæorum &c. postea, hoc animo non mutato, consensit in Mariam, quæ pauper est, deformis, ex Judæis descendens &c. invalidum est Matrimonium, quia, cum prior intentio retractata non fuerit, sed adhuc perseveret, æquivaleret conditioni actualiter positæ, & sicut sufficit talis intentio ad Matrimonium constituendum, quando affirmativa est, ita ad dissolvendum, quando est negativa. Sanch. *l. c. n. 21.* Tambur. Basil. Pontius, qui *L. 4. c. 21. n. 13.* testatur, obtinuisse se propter hujusmodi intentionem virtualemente non contrahendi, ut Matrimonium quoddam initum ex errore in qualitate nobilitatis dissolveretur, ac nullum esse declararetur.

8. Altera exceptio est, si error qualitatis inducat, sive involvat simul errorem personæ, tunc enim, cum erretur circa ipsam personam, invalidum est Matrimonium defectu consensûs absoluti. Quandoque verò error in qualitate redundet in substantiam personæ, diversas regulas tradunt citati AA. Prima est, si qualitatum narratio eò tendit, ut persona, aliàs incognita, cognoscatur, qualitatesque narratæ non communes suat, sed singulares, indivi-

duationem personæ denotantes, veluti si te fingeres filium Petri primogenitum, cum tamen non sis, quia hæc non est qualitas communis, sed singularis, & certum individuum indicans, idcirco error in ista qualitate non est error præcisè qualitatis, sed ipsius personæ; secus est, si te divitem, vel nobilem fingeres, quia sunt qualitates communes, non personæ individuationem indicantes; hinc ob priorem errorem Matrimonium irritatur, non verò ob secundum. Optimè hanc regulam exemplo declarat Tambur. l. c. n. 21. Videt quis, inquit, duas mulieres, alteram sedentem, stantem alteram, ac dicit: *volo contrahere Matrimonium cum hac, quæ sedet*; vel videt duas alias, & ex amico audit, hanc esse nobilem, illam ignobilem, hanc virginem, illam viduam, dicitque: *volo contrahere cum illa, quæ nobilis, & virgo est*: in isto casu sessio, nobilitas, virginitas qualitates quidem sunt, sed tamen in præsentia sunt signa substantiæ ejus, cum qua ille homo intendit inire Matrimonium, atque adeò important determinationem personæ, cum tota intentio illius sit ad illud individuum, quod sedet, quod nobile, quod virgo est.

Secunda regula est, si qualitas est finis Matrimonij, ita ut Matrimonium sit unicum medium, sive unicè eligatur tanquam medium ad finem hunc obtinendum; nempe qua-

litem istam, qua persona, cum qua initur Matrimonium, prædita esse judicatur, v. g. si juvenis opulentus, sed non antiquæ nobilitatis, ad familiam aliunde adscito splendore ornandam, & attollendam, cum Illustri familia affinitatem quærat, & unicè eo fine inducatur ad Matrimonium incedendum cum puella, quæ se Illustri sanguinæ natam dolosè mentitur, redundat hic error qualitatis in personam, atque ideo irritat Matrimonium, cujusmodi muliebri imposturæ notabile exemplum adducit ex Caramuele Gobat *tr. 9. cas. 4. n. 103, & seqq.*

Tertia regula est, quam tradit idem Gobat ex Basilio Pontio, quando quis contrahit cum aliqua propter certam in ea qualitatem ita apprehensam, & æstimatam, ut eam inducatur ad contrahendum, eique ita innitatur expressè, ut sine ea non contraheret; hoc casu si absit ista qualitas, non valet Matrimonium. Verùm hæc regula, ut rectè notat Perez *disp. 24. Sect. 3. n. 7.* diversa non est ab ea, quam dedimus num. precedente in exceptione prima, & tunc omnino vera est, quando hæc qualitas apponitur per modum conditionis in contractu, ita ut contrahens uno, eodemque actu feratur simul in substantiam, & qualitatem: nec aliud desumi potest ex verbis Pontij, nam hic, dum loco supra citato asserit, invalidum fore tale Matrimonium, assercionis suæ rationem hisce verbis

bis

bis adstruit: est enim ille consensus virtualis conditionalis, unde si quis contraheret cum aliqua, quia existimabat divitem esse, vel nobilem, vel honestam, vel virginem, ita ut his qualitatibus ducatur ad contrahendum, & his innitatur expressè, aliter non contracturus, in quo casu talis consensus dependet ab ea circumstantia, & illam habet pro conditione assensus, invalidum erit Matrimonium, si dives non sit, aut nobilis, aut honesta, aut virgo, in foro quidem conscientie, si ita res se habet, atq; etiam in exteriori foro, si probari poterit.

9. Nunc igitur, ut ad presentem casum propius accedamus, videri potest, fuisse validum hoc Matrimonium, quia error fuit in sola qualitate, nec redundavit in ipsam personam juxta id, quod docet Coninck disp. 31. dub. 1. n. 17. quando dubium est, an falsa narratio inducat errorem personæ, attendendum esse, an falsam hanc asseverationem præcesserit aliqua cognitio personæ, hoc enim casu, ait, errorem consistere in sola qualitate, idque illustrat exemplo: Petrus incidit in aliquam personam sibi incognitam, agit aliquantulum cum ea, postea rogat, quænam sit, falsoque dicitur ei, esse filiam unicam talis Ducis; deinde eam ducit uxorem; est solum error qualitatis, & Matrimonium valet, quia determinatur ad concipiendam certam personam ex prioris conversatione, & per eam narrationem non determinatur, eam esse aliam ab ea, quam egit, sed ut putet, ei talem quali-

tatem convenire. Excipe casum, quo filia talis Ducis per famam ei prius esset singulariter nota, tunc enim per eam narrationem determinaretur, ut hanc in particulari sibi ducendam proponeret: quibus omnino similia habet Laym L. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 2. Atqui in casu nostro, upacio locuta est sapius Hermilla, & per hanc collocationem acquisivit cognitionem sufficientem ipsius personæ, proinde si erravit, error non fuit circa individuum, sed fuit decepta in sola qualitate, & accidentibus hujus personæ, qualis error juxta dicta non irritat Matrimonium, imò nec quidem sufficit ad divortium quoad torum post Matrimonium semel initum. Sanch. l. 6. n. 20. ergo &c.

10. His tamen non obstantibus, quamvis error qualitatis in suo genere Matrimonium non vitiet, adhuc censeo, fuisse hoc conjugium invalidum, quia hic error non itetit solum in qualitate, sed redundavit in personam, & ex parte Hermillæ causavit defectum consensûs; quod ostendo ex circumstantiis. Virgo erat honestæ familiæ, & opulenta; morata est extra patriam, de nuptiis nec quidem cogitans, acquisivit postea noticiam Lupacij, nec statim arsit cæco amore erga illum, neque præcipitanter consensit in nuptias, sed postquam intellexit ex ipso, & testibus, virum esse in dignitate militari constitutum, filium divitis mercatoris, cum quo etiam extra mili-

tiam

tiam vitam statui suo convenientem victura esset, quod rursus restabatur scheda fictitia baptismalis, & affirmabant subornati testes; cum hoc quia patria ipsi communis fuit, vel certè ab ipso non remota, potuit hujus familiæ habere aliquam notitiam, atque ita moveri ad consensum, quod cognosceret, hoc Matrimonium sibi, suisque prolibus, si quas in eo generaret, honoratum, & utile fore, tum ob mariti dignitatem, tum quia dives ipsa nubens diviti melius provideret futuris hæredibus: ferebatur ergo ipsius intentio non in personam secundum se, sed quatenus ea erat affecta his qualitatibus, hæcque ad istum finem, quem intendebat, futuræ essent medium, aliter nequaquam contractura, ac consequenter cum reperisset omnia contraria, actus ipsius censendus est involuntarius, & habitâ notitiâ redditur nullus. Ita in rem nostram decidit Valerius Reginaldus in praxi fori pœnit. L. 37. c. 14. n. 94. his verbis: *Quod si è contrariò consensus primò, ac directè feratur in personam, quæ tales habeat qualitates, & consequenter in particulari in hanc, v. g. primogenitum Petri, putatum divitem; & nobilem, cum talis non sit, error est qualitatis, involvens errorem personæ, quia deficientibus tunc qualitatibus, sub quibus persona intendebatur, consequenter deficit persona, sicq; Matrimonium est invalidum; nec aliud dicunt Layman,*

& Coninck supra citati, si verba ipsorum bene perpendantur.

Confirmatur, quia error vilitatis, & ut ita dicam, plebeitatis, dum vir creditur valde nobilis, cum sit plebeius, multum accedit ad errorem servilis conditionis, ut docet Navarr. *Consil. 3. De Sponsal. n. 3.* atqui major vilitas vix esse potest in aliquo statu, quam carnificis, utpote qui propter abjectam vitæ conditionem jam olim quoque apud Romanos nec quidem domicilium in Vrbe habere poterant, ut ex Polleto, & Hothom. docet Eman. Gonzalez in *c. Significante. 69. De Appelat.* & ad hoc munus obeundum propter publicam vilitatem homo liber cogi non potest, nisi & ipse vilis persona sit. Bart. in *L. fin. §. Titius. n. 3. ff. De Pignor. Act.* Julius Clarus in *Practico. Crimin. q. 99. n. 4.* cum igitur error conditionis servilis nullum, & invalidum reddat Matrimonium *c. 2. & fin. De Coniug. servor.* invalidum quoque reddet vilitas tam enormis.

Accedit, quod in casu à nostro non ab simili, in quo sponsa substituto alienæ familiæ cognomine, & parentibus à suis diversis, quos nobiles esse mentiebatur, ac divites, cum procreata esset ex ignobilibus, persona vilis, & pauper, consultus Augustinus Barbosa, commissâ sibi causâ ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Nuncio, pro invaliditate illius conjugij judicaverit, ut
videre

videre est apud ipsum in *Votis decisivis* L. 2. *Voto* 19. n. 31. ubi ob similes fraudes, dolos, & errores intervenientes, ac suspectos testes in causa simili id ipsum fuisse decisum affirmat à S. Rota coram R. P. D. Buratto in *Toletana prætensi Matrimonij*. II. Junij 1622.

II. His ita stabilitis pro coronide proponenda est quaestio, An Coniuges, quorum Matrimonium nullum est ob intervenientem errorem, aliudvè occultum impedimentum, si nihilominus convivere sibi velint ut conjuges, jam ultrò consentientes in id, in quo antecederent errantes, errore substantiam contractus viciante, invalidè contraxerant, contrahere de novo debeant in facie Eccle-

sia, an verò sufficiat, ut hoc privatim fiat?

¶. Posse ipsos contractum hunc revalidare privatim sine praesentia Parochi, & testium, si prius Matrimonium fuit consueto, & praescripto modo in facie Ecclesiae celebratum. Ita Navarr. in *Manual. c. 22. n. 70.* ubi testatur, hoc declarasse Pium V. & S. Pœnitentiariae prætorium hac declaratione frequenter uti. Gobat *tr. 9. cas. 4. in appendice ad num. 129. litt. l. & in Quinario tr. 5. c. 37. n. 137.* Quòd si tamen istud impedimentum esset publicum, aut periculum, ne detegatur, coram Parocho, & testibus denuo contrahendum foret, ut docent Sanch. *L. 2. disp. 37. n. 11.* Perez *disp. 39. de Matrim. Sect. 4. n. 6.* sed de hoc plura alibi ex instituto.



CASUS